Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



tuk 158

et congregabit ad se omnes gentes. et congregabit ad se omnes populos Nunquid
non omnes isti super eum parabolam sumet et laqlam enigmatum eius et
dicet Ve ei qui multiplicat non sua usque quo aggravabit contra se densi
latum nunquid non repente consurgent qui mordeant te et suscitabunt
lacerantes te et eris in rapinam eis quia tu spoliasti gentes multas
spoliabunt te omnes qui reliqui fuerunt de populis propter sanguinem hominis et
iniquitatem terre Civitatis et omnium habitantium in ea Ve qui congregat a
varitiam malam domui suae ut sit in excelso nidus eius et liberet se
putat de manu mali Confusionem contulisti domui tue
conscidisti populos multos et peccavit anima tua quia lapis de pariete cla
mabit et lignum quod inter texturas edificatur respondebit Ve
qui edificat Civitatem in sanguinibus et parat urbem in iniquitate Nunquid
non hec a domino sunt exercituum Laborabunt enim populi in multo ignis
et gentes in vacuum et deficient. quia replebitur terra ut congaudeat gloria
dum qui aque operiunt mare Ve qui potum dat amico suo mittens
fel suum et inebriat ut aspiciat nuditatem eius repletus es ignominia pro gloria Bibe quoque tu et consopire. circumdabit te calix dex
tere dei et vomitus ignominie super gloriam tuam quia lignum li
bani operiet te et vastitas animalium deterrebit eos de sanguinibus
hominum et iniquitate terre et Civitatis et omnium habitantium in ea Quid
prodest sculptile quia sculpsit illud fictor suus conflatile et ima
ginem falsam quia speravit in figmento fictor eius ut faceret muta Ve
qui dicit ligno Expergiscere surge lapidi tacenti Nunquid ipse
docere te potest. Ecce ipse circumdatus est auro et argento et omnis
spiritus non est in visceribus eius Dominus autem in templo sancto suo. si
lentium a facie eius omnis terra Sancti habacuk III

Domine audivi auditionem tuam et timui Domine opus
tuum in medio annorum vivificabis illud. In medio annorum
notum facies. cum iratus fueris misericordie recordabitur De
us ab austro veniet et sanctus de monte pharan Operuit
celos gloria eius et laudis eius plena est terra Splendor eius ut
lux erit cornua in manibus eius. Ibi abscondita est fortitudo eius
ante faciem eius ibit mors Egredietur diabolus ante pedes
eius stetit et mensus est terram. Aspexit et dissolvit gentes. et
contrita sunt montes principis. incurvati sunt colles mundi